

125.
5.
1644, 15

MEDICA EXERCITATIO
DE
**MATERIA
TURGENTE,**

Quam
PRÆSIDE DEO T. O. M.

AUTHORITATE GRATIOSISSIMI
Medicorum in almâ Academiâ
Jenensi Ordinis

Publico examini & censuræ exponunt

JOHANN. THEODORUS Schenck/
Jenens. Medic. Licent.


ET

JOHANNES Volck/ Gothanus
Philiater.

Ad d. 7. Aug. A. C. 1644 XLIV.

In Auditorio Medicor. hor. consuet.

JENÆ
Literis STEINMANNIANIS



ILLUSTRI ET GRATIOSO MEDICORUM
IN ACADEMIA JENENSI COLLEGIO

DN. CHRISTOPHORO SCHELHAMMERO,
Hamb. Med. D. Anat. Chirurg. & Botan. P. P. fa-
migeratissimo, h. t. MAGNIFICO ACADEMIÆ
RECTORI designato.

DN. GUERNERO ROLFINCCIO, Hamb.
Phil. & Medico Nobilissimo, Seniori Facultatis
gravissimo, Practic. & Chimix P. P. per Eu-
ropam Excellentissimo.

DN. GOTHOFREDO MOEBIO, Lauchens.
Med. D. Institut. P. P. celeberrimo Chimico &
Practico felicissimo, Facultatis p. t. Decano
Spectatissimo.

*DNNN. Mecœnatibus, Præceptoribus ac Promotoribus
per vitam venerandis*

UT ET

VIRO Integerrimo ac Pharmaceuticâ Experientiâ
Clarissimo

DN. JUSTINO Döhneln / Pharmacopœo & Civi Gothano
Primario, Parenti perpetim colendo,

PRO LABORE & AMORE

Hoc γύμνασιον nostrum Academicum,

*gratitudinis debitæ & perennanti cultûs
tesseram, obstrictissimi offerimus
& consecramus*

CULTORES



D. O. M. A.

DE

MATERIA TURGENTE.

THESIS I.



Quod in Republicâ civium tumultus, illud in œconomia microcosmicâ pravus humorum motus, (Græcis *ὄργασμός* dictus) esse solet. Res plena periculi, graviorq; publicis bello & clade ruinis, ut *Tullius* *svâ Philipp.* testatur. De quô, quantum ad nos, cum DEO FELICITER jam disquiremus.

II.

Quid autem sit TURGERE apud *Hippocrat. & Galen.* non omnium una est Doctorum sententia. Sunt enim qui vehementem quendam Naturæ appetitum, impetum ac concitationem per hoc intelligunt. Alii crediderunt idem esse, quod molestum esse Naturæ & maximè periculosum. *Jacobus Foroliviensis com. 22. l. 1.* furiosum interpretatur. Quandoq; plenitudinem significat, ut *6. Epidem. com. 30. Galenus cum Hippoc.* voluit. Aliquando pro intumescentiâ cujuscunq; corporis vel partis ab humorum quantitate vel qualitate peccantium affluxu, descendente, ut ex *Arist. 6. Histor. animal. 18. Hippocr. lib. 3. de fractur. t. 18. & Gal. in com.* constat. *Theophrastus 1. de caus. plantar. 6.* eodem motus argumentô, negocium hoc ad plantas, harumq; germinationis tempus, quô copiosiori succo sunt refertæ, transtulit. Sic quoq; ad aëris vehementes collisiones, motus terræ, æstusq; maris impetuosiores exprimendas eadem vocis significatio *nomenclaturibus* profuit.

III.

Nos, salvis aliis significatis, existimamus τὸ ὄργασμ *Hippocratis* metaphoricè de humoribus dictum, esse motum humorum vitiosorum vehementiorem atq; transfuxum de unâ parte ad aliam non sine periculo descu-



decubitus materia in partes nobiliores. Verbis nostris fidem facere videtur *ἔξιαργος* noster Galenus 1. *aph.* 22. *com.* Verbum, inquit, turgere per metaphoram translatum est ab animalibus concubitum appetentibus ad humores. Nam sicuti illa stare loco non possunt quâdam titillatione impulsâ, eôq; affectu concitata; Sic quoq; humores plerumq; motu vehementiore atq; transfluxu ab unâ parte ad aliam in morbi principio hominem infestant, moventes, titillantes & quiescere non permittentes, cû & ipsi pariter moveantur & transfluant & tanto motu de loco ad locum agrum molestant. Et 1. *de cris.* 9. clarissimè scribit: verbum hoc propriè de animalibus dici consuevit, quæ ad coitum rapiuntur, translatum autem est ad eas, quæ properant & celerius moventur & graditudines.

IV.

Sicut autem *ὀξύς* i. e. acutus morbus partim in vehementiâ partim in magnitudine consistit: ita *ὀργασμὸς* humoribus proprius partim invehementi motu partim in transfluxu de unâ ad aliam partem cum periculo decubitus materiæ in partem principem, ut 8. *de medic. s. l. c. 3.* scribitur, ESSENTIAM suam & RATIONEM FORMALEM habere & absolvere videtur. Quod & manifestare intendit 4. *acut. com.* 76. nimir. nullâ ratione tempus purgandi à numero dierum sed à turgentia, quo tempore apparuerit periculum alicujus partis præstantioris auspicandum esse. Quem *Joh. Manardus* sequens, eos humores turgere dixit, quando, ne in membrum princeps decumbant, periculum est. Hac ratione credibile est *Hippocr.* lib. 3. *de morb.* vocem τὸ ὀργᾶν ad febrium vigorem transtulisse, adeò ut exinde appareat, ne utiquam simplicem motum humorum hîc, sive à qualitate sive à quantitate profectus videatur, sub intelligendum esse; sed talem, qui καὶ ὀργᾶν & ὀργμὸν suam extrâ partis dispositionem gravius periculum causari possit. Unde nonnunquam pro turgentia *urgentia* legitur & 4. *acut. com. cit.* ipsis humoribus attribuitur. Hinc fit, ut vel rarò morbi turgere dicantur, & rarò cum cruditate turgentia inveniatur; quod tamen hunc motum *κρίσις* considerando necessariò sequeretur, ut *Daniel Sennertus* in *Caprilium & Massariam* l. 2. *de febr. c. VI.* loquutus est; & in peste erroribusq; externis utcunq; contingeret.

V.

CAUSAM IMMEDIATAM quamvis *Joh. Bapt. Sylvatic. Tr. de ma-*

de materiâ turgente c. 5. cum *Job. Manard. l. 13. epist. medic. 1.* existimes
in exurente bilis qualitate tenuitateq; quærendam esse; facile tamen
adducimur (ne reliquos humores quasi immunes ab hoc vitio nos
exclusisse videamur) ut cum *Gentili Fulgina in com. c. 7. 1. Fen. l. 4. A-*
vicenn. & Hagone Senensi 4. Fen. l. 1. c. 1. proprietatem humorum vitioso-
rum sicq; vim ipsorum in singulari ιδιοσυγκρασία & substantia modo fun-
datam accusemus, non negantes, quod à juvantibus causis externis
talis genius non parum stimulari potuerit. Quidam existimavêre,
NATURAM, seu ut Galenus loqui amat, *partium viventium poten-*
tiam expultricem hîc vices primarias sustinere; quibus non parùm
favere solitus fuit *Ludovic. Mercat. qui oper. suor. Tom. 2. l. 1. de recto*
presid. usu c. 6. totum hoc negocium in naturam rejiciendum esse
censuit: Nihil namq; *ἰσχυρῶν*, ait, si vocis etymon spectes, aliud
denotat, quàm desiderium partis ferventis & gliscentis expellen-
di id, quod sibi molestum est. Verùm utcunq; hæc gravissimorum
autorum calculo comprobata sint; neutiquam tamen *Galen. pla-*
citum 1. aph. 22. com. fundatum, evertunt. Licet enim Natura hîc
aliquid facere videatur, id tamen non sponte suâ sed invitâ susci-
pit operâ, & sic non *πρώτως* agere dicitur, quemadmodum in
convulsionibus aliisq; depravatis actionum motibus apparet, cum
stante tali motu, expultrix tantùm coadjuvans causa sit, ut exem-
plo diarrhææ testatur *Galen. 3. de caus. sympt. 3.* & ob imbecillita-
têm eadem contingere posse mirum non sit. *3. de caus. sympt. 2.* imò
cum aliàs circa initia omnia sint *ἀδυνάτεια 2. aph. 30.* quia natura
nondum aggressa est certamen cum morbo; hîc contra omnia fung
ἰσχυρότερα, quia causa morbifica naturam opprimit & ipsi domi-
natur. Ut ita certum sit eam neq; appetere neq; expellere id quod
sibi molestum est, nisi laceffitam & coactam *ῥοπήν* humorû. Ideoq;
aliquid aliud sunt opera morbi, aliud opera Naturæ, monen-
te *Galeno 4. aph. com. 22.* Et mirandum est, quod *κρησφύγετον* sibi
quærat *Mercatus* in vocis etymo, quod admodum fallacis frontis
esse ex *2. de placit. 2.* didicerat, eam enim uni & soli Naturæ com-
petere, (cum neq; ulli unquam quæcunq; in corporibus agrotan-
tibus fiunt, eidem illa ascribat, sicq; humoribus aliisq; præterna-
turalibus nihil) nondum probavit; & positô hoc, non verò con-
cessô, vel solus metaphoricus *Hipp. & Galen.* loquendi amor ipsum

refutabit. Quid? quod qui humoribus omnem movendi appetendiq; vim & potentiam subtrahere audent, idem sibi sumant, quod illi qui talpam non videre, quia ipsius oculos non vident, mordicis credunt. Hæc opinione quoq; deducti eorum devium errorem incurrunt, qui unò eodemq; tempore motum à naturâ unum à morbo verò alterum sibi somniant. Manet ergo firmum, humores movere & moveri, nō obstante quod neq; sentiant neq; appetant. *Movent* disgregati cum sunt, sicq; suo vinculo soluti naturam affligunt, irritando & lancinando. *Galenus* vocat superabundantium humorum motum qui laborantis partis sensus irritat l. 3. de cris. c. 9. *Hollerius & Guilielm. Plancius* ita efferunt: nisi suo pre impetu humores cieantur. Undè *Interpres quidam doctissimus*; Corpori irasci & in sua membra commoveri veluti in inimicum, eleganter dixit. *Moventur* verò quia stabiles in loco non sunt sed *δυναμει* mobiles, quod omne Naturæ expultrici ascribit *Mercatus*. Non displicet hic nobis sententia *Heinrici Smetii* l. 3. quest. miscell. medic. 2. p. 153. Si, ait, naturæ motibus obtemperaret effrena hæc humorum malitia, dubiò procul non eiceretur. Neq; alia humorū turgentia quam pharmaci assumpti ratio est & similitudo, quemadmodum quoq; pharmaci irritare, Naturæ expellere est propriū quæ si satis per se esset, non egeret auxilio Medici l. aph. 20.

VI.

CAUSÆ MEDIATÆ & MATERIÆ ratio jam contemplanda est, ubi non plethoram sed CACOCHYMIAM producimus, quam non solum præter τὸ δῖον ἢ ὄσον substantiâ & motu, verum in singulis individuis diversimodè peccare, in aprico est. Quid? quod alia humorū in parte, alia extra partem, alia fluentium, alia fluxorum, alia firmatorum & fluibilium natura sit & ratio. Quantum autem ad præsens, certum est motum aliquem vehementem cum irritatione & transfluxu junctum, melius citiusq; à re calidâ, tenui, acri, salsâ, mobili fluenteq; , quam à frigidâ, crassâ, lentâ, viscida difficulterq; mobili ac firmata oriri posse. Talem naturam sibi arrogant præ melancholiâ, pituitâ & aliis, χολῆν ἢ τὸ ἑρπῶν, disgregata ac influxu suo comprehensa. Sic *Gal. in lib. quos, quand. &c. purgar. lic.* tenues & serosos humores, quales sunt ichores morbi, purgari debere per hunc aph. 22. intelligere voluit. Et quos acutissimos

18.
simos morbos pariat præter experientiam quotidianam *Carol. Pifo testatur lib. de Coll. Ser.* De bile verò, quam vivis coloribus depinxit *Bened. Victor. Faventinus com. 22. f. 1.* testimonium dat *Gal. qui 7 aph. com. 32. ait, τὸ χολώδες αἰεὶ ὀξίας ἐργάζεται νόσους,* cui applaudit *Hippocr. lib. natur. in hom. οἱ πλείστοι τῶν πυρετῶν γίνονται διὰ τῆς χολῆς & clarius: ὁ σύνοχος διὰ πλείστης χολῆς καὶ ἀκρησάτης τὰς κρισίας ἐν ἐλαχίστῳ χρόνῳ πιέεται.* ac alibi. Attamen (quamvis hi duo humores primario & præreliquis turgeant) non semper inveniuntur tales, sed vel sunt portio causæ antecedentis, vel cum aliis humoribus conjuncti ut *Card. tr. 6. contrad. 5. desiderat,* vel, quod nõ raro accidit, cum turgentiâ communiter dicta, quæ omnibus in universum humoribus p.n. se habentibus competit, qualis est historia in muliere *lib. de morb. mulier. pituitæ turgescens* vel cum aliis morbis, v. g. febribus tertianis, malignis, ardentibus, in peste, uti quidam rati sunt referente *Card. l. 6. & præter Manardum Trallianus l. 2. c. 6.* ubi tamen τὸ turgere de his omnibus aliter dici non potest, nisi propter id, quod & in initio vagari & homines interimere soleant. Potest autem peccans & maligna & pestilens reddi ab externis causis propter ebullitionem, moram diuturnam & quod separata ipsa sit, propter quod, ceu aqua separata, ut loquitur *Concil. diff. 160.* facilius putrescere & peregrinas qualitates induere nata est. *Hippocr. n. lib. de loc. in hom.* triplici modo humores causas morborum, dum vel quantitate vel qualitate peccant, vel disgregantur, & sic quodammodo morborum domicilium fieri posse ostendit, licet enim hi partes animatæ nõ sint, attamen partes dicuntur ut vult *Galen. χρείαν παρέχουσι,* *Jacob. Scheckio* eruditè attestante *in ref. err. Sim. Simon. animad. in c. 5.*

VII.

SUBJECTUM facile dignoscere licet, si rationem humoris vel fluentis vel fluxi habeamus, eritq; distinctio notabilior. Quamvis enim fluentis domicilium potissimum soleat inquiri; quia tamen termini à quo ad quem & per quem non sunt prætereundi, factum, ut fluxus quoq; audiat, licet *δυνάμει* sit fluens & facile datâ occasione aliorsum commovendus. Non facimus hic cum *Petro Aponens: Conciliatore dicto qui diff. 6. 61.* vel totum corpus vel principales partes subjectum innuit, instinctus forsàn *loc. Galeni*

4. aph.

4 aph. com. 10. cui & Mercatum præter alios suffragari ex superius dictis patet. Verùm, cum peccans hæc materia firmata in corpore nõ est, ut *Prosper. Martianus com. 22. s. 1.* disputat, sed modò in unam, modò in aliam corporis partem discurrendo potens de se significationem præbet, ita ut non tam à parte principe fluens, quam *δυναμις* suâ in principem cum periculo fluxura, attendenda nobis illa sit, existimamus *Venosi generis, sub quo & arterias comprehendimus, truncos, divaricationes,* quæ ad exilium differentiam vasa majora ab Anatomicis vocantur, præstantioribus concredita potissimum partibus, quorum opportunitate partium *συμπόσειαι* humorumq; transmissiones oppidò contingunt esse proximum & genuinum materiae turgentis subj. etum. Et verisimile est, si materiam cum suo subiecto conferemus, materiam ejusmodi peccantem morbificam faciliùs disgregari & vires suas citius, fortius & brevi tempore, quaque versus, modò in hanc modò in illam partem transfundere posse, hinc & illinc divagari, irruere & retrocedere valere, propter vasorum aptitudinem connexionemq; cum partibus principalioribus, præsertim verò vitalibus, quæ propter viciniam quoq; diurnas alterationes non multum ferunt, & propter id considerationis haud postremæ sunt. Adde, quod neutiquam talis humorum *ὄξις & πύξις* accideret, si sede aliquâ conclusa materia, vel venarum ostia egressa in cavitate partium, multò minus in exilium venarum ductibus contineretur & commoraretur. Et hoc subiectum nobiscum præter *Hipp. & Galen.* plurimi autorum agnoscunt, dum acutissimorum morborum, qui rarò accidunt, eam comitem fuisse didicerunt. *Job. Bapt. Sylvaticus tr. cit.* eam semel se observasse bonâ fide testatur, quam paucò horarũ spacio mors subsequuta fuit. Docent hæc febrium ardentium focus & fomes in venis majoribus delitescens, & variæ illarum transmutationes.

VIII.

MORBI qui materiam turgentem fovent & possident, solum sunt ACUTI ex calidâ causâ provenientes, quod docuit *Hipp. per Galen. 1. aph. com. 24.* Et neq; hi omnes, cum sint in triplici differentia, acuti sc. ex decedentiâ, acuti simpliciter, per-acuti) huc acutissimi, qui 4 diem non transcendunt.) *Christoph. Cachetus controv. theor. pract. in 1. S. aph. 4. quest. 3.* de morbis acutis hæc habet: Morbi qui

quicūq; graves, violēti, difficiles atq; ut verbo dicamus magni & una sint^o periculosi præcipites, appellationes merentur a-
cutorum, Ex quo dicimus, si identitatē materiæ turgentis spectes,
solum in *peracuti* & *per per acuti* illā inveniri posse, licet non sem-
per sed valdē rarō, cujus quidē signum; quia tales morbi quotidie
sunt, & tamen valdē rarō videmus materiam turgere. Causa,
cur hi solum? quod vehementes sint & unā præcipites, talia au-
rem materiæ turgentis naturæ respondent & cum ipsā optimē co-
hærent. Unde vel eō nomine materia turgens, cum acutis acci-
dat, periculosa. Antyllo hab etu r.

IX.

SIGNA, quæ secundū methodum Galenicam 3. *de crisib.*
3. ideam affectus ostendunt, vel ab ipsā fluunt *essentiā*, quæ sunt
tūm motus vehemens, tūm transfluxus ab una ad aliam partem;
vel ab ejus *existentiā*; suntq; vel magnitudinis, vel motus vel moris
Et (1) recessus plurimā naturalistatu, quæ Medico, viro sensato &
prudenti, nunquam non patent. (2) Symptomatum magnitudinis vel
in actionibus tripliciter læsis triplicibus 1. *aph. VII.* vel in excretis
& retentis *Gal. 1. de crisib. 12.* vel in mutatis qualitatibus *Hipp. lib.*
de humorib. (3) Coctionis & cruditatis, quæ *aph. 19. S. 2. continet.*
(4) Boni vel mali moris, sive proprio sive peregrino acciderit vitio.
Quæ tamen etsi omni ex parte pathognomonica non sunt, sup-
plent tamen locum eorundem, cum plura numero ad inventā
& simul recepta super rationis incudem revocata fuerint, quare
assidentia proprio nomine à Medicis appellari solent. Quando
itaq; hæc enarrata ex solitis fontibus enucleata signa adsunt, quæ
partim quoq; causæ sunt, tunc præsentia hujus materiæ turgentis o-
mnino ominari tutoq; prælagire fas est. De singulis verò signo-
rum ac causarum locis discurrere jam nostrum non est.

X.

MOTUS HIC materiæ turgētis, AN COINCIDAT CUM
SYMPTOMATICO? non inconcinne quæritur. Et sanè conveniūt
non parū inter se, si ideā, causas, finēq; horū spectes, ubiq; effre-
nis humorū malitia turget, ubiq; laceffita & succūbēs natura urget
& digito qs. Medico quæ facienda monstrat; utrobq; etiā salus in-
ancipiti est. *Trincavell. tract. de pest. feb.* ut quæstioni: nū omnes eva-
cua-

B

cua-

evationes Symptomaticæ malæ nec ne? satisfaceret, mediam inter bonam & malam crisin constitui debere ratus est, ducto exemplo à materiâ turgente. Solidè autem à *Sylvatico lib. controvers. medic. XXV.* castigatur, quod, præterquam quod absurdum sit, motum, quem natura instituit, constare partibus contrariis, vir eruditus decipiat eò, quod interim salubrior ille sit (motus symptomaticus) eiq; auxilio debeat esse Medicus, cum inter malam & bonam crisin, media ex his composita nec dari possit, nec data sit, licet Galenus secundùm magis & minus illam dividat, *1. progn. com. 27. & 3. de caus. sympt. 7.* opera naturæ quandoq; observanda esse præcipiat, quem locum suo sano sensu pertractavit *Massarius Pract. prælect. l. 3. c. 20.* Potest enim dubia & fallax indicatio esse, quæ tamen benè cedat. Unde *Vallesius l. 5. c. 3. contr.* statuit, expulsionem symptomaticam omnem quidem malam esse suâ natura quia bonum simulcum malo. evacuat viribusq; officit; aliquam tamen in bonam tendere posse. Sicut igitur materia turgens periculosa & mala est, ita minus timenda si in partem minus nobilem firmatur vel citò educitur. Verùm quamvis in hoc hi duo motus conveniant, neutiquam tamen propterea unum sunt, uti *Trincavellius febrium tertianarum* exemplo docuit, cum materia turgens ad nullam excretioni sensibili destinatam partem suo motu deferatur, quæ proinde pharmaco ducenda est deorsum ad legem *aph. 20. s. 4.* Quâ de causâ materia, quæ facit fluxum ventris, ait *Cardanus l. c.* non est turgens, procedit enim ad membrum determinatum, imò ad concavitatem solùm. Et materiam, quæ tertianam facit, æquè ad certas & determinatas partes transmitti, autor est *Conciliator.* Quocirca libenter *Sylvatico* damus *ὀργασμὸν ad motum Symptomaticum referri debere*, differre tamen in eo ab ipso (1) quod nulla fiat sensibilis causæ morbificæ ad loca conferentia & determinata conversio, perq; ea consuetæ expulsio (2) quod ex humorum potius, seu ut rectius loquamur, robore morbi quàm naturæ dependeat (3) quod plerumq; in principio morbi accidat, alter quocunq; morbi tempore.

XI.

Non à ratione abest (ut varar ibiam sequatur) quin materiam
tur-

18.

turgescentem omnibus numeris crudam esse credamus, cum quod in principio, si Hippocrati fides est, ut plurimum vigeat, tum quod rebellis & contumax a natura vinci non possit, sed vires dejiciat & mortem plusquam alia aliqua affectio acceleret. cum enim ut excrementum hanc Medicus expellere conetur, oportet ut prius a natura coctione alterata & separata sit. Non recipit autem omnem alterationem excrementum a Natura, sicut neque ut, eleganter Galen. 4. de sanit. tuenda. habet, omnis cibus in cujusvis animantis ventre concoquitur. Hinc sciscitari non pigebit, AN MATERIA TURGENS, QUA CAUSA MORBIFICA, COCTIONEM ADMITTERE EAQUE DOMARI POSSIT, NEC NE? ita ut salvum omnino maneat Dicitatoris nostri preceptum 1. aph. 22. Cocta non cruda medicari oportet, etiam stante hoc: si materia turgeret. Qui Galen. in com. sequuntur, eam nec crudam nec coctam esse simpliciter affirmare audent, quanquam crudam dici debere magis ament. Qui Trincavelliam sequuntur, eam portionem materiae causae morbificae antecedentis coctam & separatam, attamen cum reliquis humoribus in corpore superabundantem & circumvagantem naturamque ad expellendum irritantem esse, existimant, qui tamen a J. B. Sylvatico pridem satis responsi tulerunt. Nos Galenum imitantes, materiam hanc turgescentem improprie crudam, quatenus cruditas opponitur coctioni sicque magis quid crudo esse ex alleg. Hipp. aph. plurimorum comm. subscriptionibus probatum dare possumus, inquirentes prius quid πέπρωα, ὠμὰ & ὀργῶντα proprie significant. Quamvis autem non una omnium in hac re mens sit & opinio, dum alii hanc alii aliam coctionum differentiam analysinque proferunt, ut videre est apud Galenum 13. aph. com. S. 2. Benedictum Victorium com. 22. S. 1. Hollerium com. 22. S. 1. Joh. Manard. celebrem Medicum Ferrariensem l. 13. Med. Epist. 1. Thom. Erast. com. 22. aph. 1; Favere tamen preprimis nobis videtur. Salust. Salvian. qui l. 2. de concoct. c. 1. liberius suam sententiam divulgat & docet, utramque πέψιν καὶ πεπασμὸν non tantum in forma, causa & subjecto, verum etiam in fine convenire, dum in utraque coctione humores, nim. peccantes & sani, redduntur apti per concoctionem ut possint nutrire corpus, hac tamen distinctione, ut in illa, quae fit in sanis, potissima ferè humorum pars concoquatur & in substantiam nutriti traducatur, in hac vero quae fit



in ægris aliqua, vel partes materiæ orbificæ minus crudæ & minus rebelles, quæ ad pristinum *συμμετρίας* gradum reduci & consequenter nutrire valeant. Neq; deest ipsi *Galen* autoritas 1. *Epi-Com.* 2. t. 24. Ex dictis quid *ὀμα* sunt, facili labore eruitur, humores, ut verbo dicamus, peccantes quidem, sed quibus insint partes in substantiam concoquentis reducibiles, qui hoc modo considerati ab optimâ constitutione per disgregationem non omnino defecerunt, sed dispositi sunt, ut à naturâ ad pristinum statum reduci possint & corpus nutrire valeant. Quibus quoq; nostrum calculum adjicimus, coctionem nim. non esse nisi coctibiliū, & eorū, quæ præcessâ *συν-διάντησιν*, corpus nutrire valent, cumq; certum sit nullâ neq; discretionem neq; evacuationem fieri posse nisi prægressâ coctione, hæc enim tria naturæ sunt opera, quæ se consequuntur *Galen.* 4. *aph.* 22. *com.* Quo argumento iterum crisin vel ad salutem vel mortem fieri conjicit. 1. *aph.* *com.* 13. Concoqui interim excrementa dicuntur, etsi mutata nutrire non possunt, ut bilis & serum, quia sunt evicta à naturâ, ad differentiam crudorum quæ non sunt evicta. *Gal.* in *com.* Ex quo etiam, de materia turgente ut sententia dicatur, concludimus, illam nec crudam dici, nec maturitatem propriè dictam assequi, multo minus salvam *Hippocratis* sententiâ, nisi excipiat *τὸ ὀργῶν*, stare posse. *Prisus* patet, quia toto genere p. n. est & *περίτρωμα*, quod confirmatur ex naturâ ipsius humoris, & quæ huic accidunt, motu & moribus, quæ, ut fatetur *Gal.* 2. *de rat. vict. in acut.* 44. *com.* nutrire quoniam non valet, non cruda dici poterit, nisi per cruditatem id tempus subintelligamus, quò natura à causis morbificis opprimitur. Sed, quod omnino alienum est, nullâ ratione fieri potest, ut id naturæ suæ gratiam accipiat, sed educere quamprimum est tentandum, ut monuit *Gal.* *nostr.* l. 4. *de san. tuen.* 3. Quod ipse & *senex Hip.* voluit, dum præcipit 4. *aph.* 10. medicandum esse, si materia turgat, in principio, qui tamen tum hinc tum alibi frustraneas esse docuerat medicationes, cruda vigente adhuc materiâ susceptas. 4. *de ra. vic. in acut.* l. 4. p. 66. *Edit. Foes.* Posteriùs elucescit inde, quia non amplius sub dominio naturæ est, nec sub illius dominium reduci apta, huic autem concoquere & maturare proprium est. Accedit quod materia turgens in continuo sit motu, quæ a. Natura concoquere debet, quiescant oportet. Præterea se-

parata.

18.

parata hæc est in ipso principio, quod Naturæ opus nemo dixerit, quæ nec in principio morborum nec in alio morbi tempore bene æctura, cruda i. e. antecedentem materiam evacuare solet, ut ex doctrinâ de febrib. clarum est. Non negamus tamen præparationem aliqualem, quæ & ipsa vulgò coctio dicitur, tali matetia turgenti convenire, quomodo eam *Joh. Bapt. Donat. tr. de maturitat. mater. in morb. c. 25.* proposuit in maturitate bilis & feri, de qua & noster *Sennert. Inst. l. 5. p. 2. s. 1. c. 8.* egit.

XII.

TEMPUS EVACUATIONIS materiæ turgentis præfinit *Hipp. 4. aph. 10. ζρονίζεν, inquiring, εν τοῖς τέτοισιν κακόν, cum* nimir. humor superatus primis diebus & suo pte gaudens imperio à naturâ volente & potente citius evacuari & consequenter periculum imminens commodissimè averti possit. Dubiam tamen hæc sententiam reddere conantur nonnulli (1) quòd adhuc quæ- runt an solùm in principio & non alio morbi tempore talis materia turgens reperiatur? quandoquidem, ut existimant, symptomatum vehementia vigorem potius seu ἀκμὴν motui huic attribuerè videtur, cum primis, quod in acutis morbis principium celeriter prætereat; (2) casum hunc ponunt, quod in peste aliisque febribus malignis, cum quibus illa nonnunquam coherere solet in principio minus tutò liceat *Φαρμακεύειν* & (3) præterea de ipsa agens *Hipp. in morbis peracutis εὐλαβῶς* i. e. cum præmeditatione illius evacuationem maturandam præceperit. Verùm, ut diximus, cum materia turgens in morbis peracutis potissimùm viget, causæ vel antecedentis vel conjunctæ rationem habere potest. Si igitur est *portio causæ antecedentis*, mirùm non est, si in alio morbi tempore cruditati conjuncta vigeat, & sic sui extirpationem sollicitet. Quamvis tunc amplius ὄργανον propriè vocari ab *Hipp. & Galen.* designat, utpote in quibus naturâ operari incipit, ubi ἡσυχίην ἔχειν melius & multò præstat *2. aph. 29.* non obstante utrum tunc temporis natura bene vel malè agat, ne nimir. illam à pugna revocemus, morbum judiciumq; pro crastinemur, tum, quod cū firmata in aliqua parte simul hæc fuerit, de contenta & inflammata parte nihil detrahère queamus *4. acut. com. 44.* Imò, ut quandoq; accidit, quod nos vigorem putamus esse morbi præsentis, alterius supervenien-
B 3 tis sit

tis sit initium. Si verò *rationem cause conjunctæ induit, & καὶ αὐτὸ*
 suum consideratur, quat. nim. toto suo avulsa & non amplius do-
 minio naturæ substat, sed suo motu & vi propriâ agit, tunc omni-
 nò nunquam nisi in principio morborum reperietur. Quapropter
 quoniam posteriori hoc modo considerata, amplius cruda non est,
 sed rota excrementitia, statim in initiò erit expurganda. Quod qui-
 dem principium ipsi non convenit, quat. cruda, sed quat. malitio-
 sa, quæ nec ad horam quidem sui moram admittit, sed inordinatis
 suis motibus exitum sibi quærit. Unde triplicem principii confi-
 derationem *Hollerii* non parvi habemus *29. com. S. 4.* annotatam. In
 peste aliter se res habet. Cum enim vitalis facultas principaliter
 hic laboret, illiq; *μίασμα* illud pestilentielle totis viribus magis ad-
 versetur quam materia turgens, illam prius, deinde hanc respice-
 re oportet, aut saltem cum diversitas indicatum à diverso indi-
 cante dependeat, id quod alterum in indicando vincit, quale hic
 venenum pestilens est, attendere oportet, ut sustineantur vires,
 quibus in methodo præcipua debetur ratio, ut ait *Gal.* Quamvis
 neq; hæc prohibeat simpliciter in principio materiæ turgentis edu-
 ctionem, cum semper in Naturam animadvertendum sit, an bene
 vel malè faciat, ut *Massariæ* notat. Quod de acutis morbis profere-
 batur, *Hipp* hoc innuere volebat, ut cum inter initia morborum con-
 sultum vix esset purgare, materia tamè ceu propriâ prerogativâ hanc
 omni viâ indicaret, nihilominus & in hac auferendâ cauti essemus
 & cum præmeditatione eam (necessitate jubente) aggredieremur,
 cum ob evitandam futuram aliorum humorum perturbationem,
 tum ob vires futuras, juxta oraculum illud *6. Epid. 1. 17. S. 2. μηδὲν*
εἰκῆ, μηδὲν ὑπερορῶν. Manet itaq; firmum, quod in principio
 morbi materiam turgentem statim exturbemus, & in complicatis
 affectibus id maxima cum præmeditatione peragamus juxta *aph.*
29. S. 2. ἀρχομένων τῶν νόσων ἢν ἡ δόκησις κινεῖν κίνει, idq; non λό-
γῶ τῆς φύσεως ut ait *Gal. 4. aph. com. 22.* Sed quia Medicus cogitur
 agere ad corporis hominis salubritatem & vitæ conservationem,
9. M. M. 12.

XIII.

Colophonem huic diatribæ imponat *Hippocr. S. 4. aph. 1. τὰς*
κυσσας præcipiens *Φαρμακεύειν ἢν ὀργῶν* &c. quo cū OMNEM
 PUR-


18.

PURGANDI METHODUM AC VIAM complectatur IN
HOC OPERE, breviter eum adhuc perlustrabimus. Purgandas
esse gravidas, si materia turgeat, qui negant, hæc obstacula obtru-
dunt. I. Quod de conceptionis perinde ac mensium computatio-
ne nihil certi haberi, ac proinde de ipso purgandi tempore nil certi
determinari possit & quod in primis & ultimis etiam mensibus
præterquam quod materia turgere possit, etiam illæ ipsæ *συμφορίαι*
rationes à Galeno & interpretibus adductæ adsint & appareant.
Volunt itaq; aut omni aut nullo ingravidationis tempore purgare
tutò licitum esse. Nec ipsis desunt rationes. Fallax enim de con-
ceptione iudicium tam ex parte mulieris quam viri quis Medico-
rum non quotidie videt & experitur? aliqua quidem gravidatio-
nis signa ab Autoribus proponuntur, tanti tamen momenti non
sunt, quin aliquando morbosæ affectionis signa ac indicia sint.
Præterea & ipsi menses fallunt, utpote in quorum virtute vel ju-
stâ computatione conceptûs maturitas non consistit, sed seminis
actio s. natura est, propter quam fœtus vel citius vel tardius perfici-
tur & excluditur. Nonnunquam impeditur vis *πλαστική* ob
morbosum uteri apparatus, adeò ut ad tempus delitescat prius ac
prodeat, & refert *Adr. Spigelius in Epist. perscriptâ Patav. ad LL. Nat.
Germ. Studiosos*, num septimestris partus legitimus? Se Olmutii,
Moraviæ quæ metropolis est, ad mulierem accersitum fuisse, quæ
43. septimanâ, postquam per 40. dies magna aquæ copia per ute-
rum exiisset, masculum fœtum in lucem prodidisset. Observatum
quoq; esse à *Bellocato Prof. Medico*, Patavinam mulierem 16. mensib.
uterum tulisse, & cum omnes molam eam concepisse existima-
rent, peperisse filium optimè formatum. Undè Lex apud Britan-
nos adhuc viget, ut maritus jubeatur prolem agnoscere anno post
& amplius natâ, quo ipse ultimò ab uxore discessit. *Montuus* Hen-
rici Gallorum Regis Pincernam novit, qui cum quinto mense na-
tus esset, ad ætatem floridam pervenit. Idem testatur *Cardanus in*
Clara filiâ Petri Sarmani Mediolanensis, quæ 180. diebus post a-
bortum quadrimestris masculi Venetiis in lucem prodiit. *Ferdi-*
nandus Mena scribit haud absurdum videri debere, si quinqueme-
stris partus vitalis editus sit II. Quod mulier gravida quocunq;
tempore morbo acuto, & materia turgente laborare possit, mani-
festum

festum esse, ac proinde æquè extirpandam non tam ob futura & matri & foetui pericula, quam ob naturam adminiculantem nobis, in primis quidem, cum debilitata nec à morbo nec à gestatione tantoperè sit; in ultimis, quod ipsa simul juncta foetus robori sui liberationem exsequatur. III. Quod si verò neq; in his, nullo unquam tempore, & sic neq; in intermediis ipsis, cum propter viarum ab onere foetus interclusiones, tum propter ipsam pharmacorum assumendorum naturam, quæ licet in his intermediis mensibus ligamenta, quibus foetus utero alligatur, non rumpant & dilacerent, alia tamen & graviora inferre possint damna, nam aut attrahent aliquid aut nihil. Si aliquid, contabefacient naturam: si nihil, tormina, rossiones, animi deliquia, sudores synco-pales procreabunt, ita ut his stantibus & vigentibus tam foetui quam matri periculum sit reformidandum. Verùm, ut brevi stylo nodum solvamus, neq; initium morbi cum initio ingravidationis coincidat necessum est, siquidem materia turgens omni tempore præfens esse potest; neq; interdicta unquam in aliis ingravidationis temporibus purgatio nobis fuit ab Hippocr.; sed *ευλαβως*, ait ille, omni tempore oportet eas medicari, tutius quidem in intermediis, in primis verò & ultimis religiosius, quod foetus in intermediis ceu fructus medio maturationis spacio firmiter utero ceu pediculis suis adhæreat. Quæ materia quoniam cacochymica est, sui per pharmaca (quæ si cum naturâ patientis conferantur, ipsi non oberunt) non per V. S. exturbationem postulat. *Pharmacakéuein* vult Hipp. i. e. pharmacum bibendum dare, non *κινεῖν* quod tam V. S. quam pharmaca significat 29. aph. S. 2. per loca conferentia.

ET TANTUM HAC VICE.






1017


ULB Halle 3
003 007 09X



80







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

ER CITATIO
 E
 1644, 5
 ER IA
 ENTE,
 EO T. O. M.
 GRATIOSISSIMI
 almâ Academiâ
 Ordinis
 censura exponunt
 DORUS Schenck/
 dic, Licent.
 olck/ Gothanus
 ater.
 C. lccclxxlv.
 cor. hor. consuet.
 NÆ
 MANNIANIS

